

SACRA CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

---

DECRETUM

RHEGINEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

IESUALDI A RHEGIO

SACERDOTIS PROFESSI O. F. M. CAPUCCINORUM

SUPER DUBIO

*An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia, earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

«Zelus domus tuae comedet me». Haec verba Domini apud Ioannem (Io 2, 17), ex Libro Psalmorum desumpta (Ps 69, 10), optime accommodari Servo Dei Iesualdo a Rhegio possunt, qui diuturnam vitam Dei gloriae et animarum salutis summa fide et constantia usui impendit.

Rhegii Iulii in vico Nasiti a Francisco Malacrinò et Saveria Melisari die 18 Octobris anno 1725 honesto loco natus est, eique post biduum in baptismo praenomen Iosephus inditum est. Pueritia in domestica societate sereno animo exacta, quindecim annos natus, optimis

moribus instructus, Fiumarae apud Murum Capuccinorum noviciorum tirocinium iniiit, franciscalem vestem sub nomine Iesualdi a Rhegio die 5 Novembris anno 1740 induit, vota autem religiosa die 5 Novembris anni 1741 libenti animo nuncupavit. Philosophicis atque theologicis studiis peractis, Servus Dei sacerdos inauguratus est die 21 Septembris anni 1748.

In philosophiae atque litterarum studium sollerter incubuit et antiquas recentioresque linguas, scilicet latinam, graecam, hebraicam, aramaicam et gallicam et hispanicam perfecte didicit. Suae clericos Provinciae undecim annos docuit, simulque summaria et epitomas in alumnorum usum composuit necnon multa alia opera theologica ad fidei defensionem idonea, vel ad perniciosos id temporis errores depellendos necessaria, contra Iansenii et Febronii sectatores, contra eos qui vulgo « illuministae » appellabantur, maxime autem contra Francomurarios, qui acrimonia et insidiarum malignitate ceteros longe superabant.

Pro Ecclesia eiusque institutionibus plus quinquaginta annos strenue certavit; tamen, quippe qui plenus humanitatis erat, summa observantia singulos homines prosequabatur ut magis benevolentia quam dissertationibus eos alliceret. Ad assiduas simul episcoporum invitationes accedebat, qui ad sacras orationes et missiones ad populum habendas eum saepe arcessebant. Cum maximam fidem ei fratres haberent, moderator, visitator, definitor, minister provincialis factus est, quapropter, suorum munerum conscius, per epistulas, admonitiones, sermones et colloquutiones spiritualem familiae religiosae vitam renovare studuit. Ad viginti annos in conventus recollectionis strictioris observantiae instituendos incubuit, ubi facilius, prout cuperent, iuxta pristinae severitatem capuccinorum disciplinae ardentiore studio Ordinis sodales vivere possent.

Publicae eversionis et perturbationum causa, quae duodevicesimo exeunte saeculo Calabros subverterunt, anno 1784 Religiosi e Calabriae finibus expulsi sunt. Pater Iesualdus Messanam concedere potuerat, sed archiepiscopus Rheginus, cum eius opera et auxilio in immanibus calamitatibus, quae ob terrae motus anni 1783-1784 evenerunt, valde opus esset, minime eius discessum passus est.

Rhegii igitur constitit ubi in ligneo tugurio, quod canonici Candilori fratris eius erat, in extrema paupertate plus decem annos mo-

ratus est; ex genuino vivens spiritu franciscano, fidelis in habitu religioso deferendo, corporibus medendo, animis curandis omnino deditus, in pauperes die noctuque intentus, tum in eorum domibus, tum in nosocomiis, in ipsis carceribus, et in ipso tugurio suo. Et inter haec omnia in archiepiscopali seminario clericos docendi munus explere pergebat.

Interea anno 1792, a Pio VI atque a Ferdinando rege Martirani episcopus designatus est, sed firma humilitate dignitatem effugit. Cum autem anno 1800 capuccinorum provincia instaurata esset, in conventum apud Sanctuarium Beatae Mariae Virgini Consolationis Matri in urbe Rheimensi dicatum redire potuit. Et anno 1801, omnium fratrum suffragiis electus Minister provincialis, obedientia adstrictus, officium recusare nequivit.

Quamquam eximius litterarum cultor, philosophiam disputare doctus, theologiae peritus et magister, non ideo tamen praetermisit sacrum ministerium. Immo tot dotibus tantaque doctrina usus est ut illud efficacius redderet. Omnibus locis, et in adeo variis vitae suae adiunctis, vir pius, humilis homo Dei et Ecclesiae, integer, pudicus, franciscalis frater verus constanter enituit. Diuturnae eius meditationes atque assiduae preces fidei firmitatem, magnumque Dei amorem manifestabant; item fervor in sacro conficiendo praesertim, necnon in allocutionibus quotiescumque sacra doctrina erat strenue defendenda et fortiter propugnanda. Voluntatis Dei studiosus, sedulus omnium munerum exsecutor, fidelis verbi et sacramentorum, maxime reconciliationis minister, indefessus omnium misericordiae operum perfectior, insigne in Deum caritatis claruit exemplar et in homines, propter quorum peccata acriter corpus affligebat ut dignum tribueretur satisfactionis officium. Quidquid receptum pauperibus distribuit, nec umquam de domo in domum, mantica humeris imposita, mendicare erubuit. Praeclara suae fortitudinis in ministerio documenta praebuit, tum labores et molestias omnis generis ferendo, tum francomurariorum inimicitias et minas sustinendo, qui in Calabria et alibi in Ecclesiam odium palam significabant. Summae abstinentiae et sobrietatis fuit, parvo vilique cibo contentus, quem semel in die sumebat; breves humi somnos captabat, et usque ad sanguinem se flagellis caedere consueverat. Votorum fidem, paupertatis prae-

sertim, non solum persolvit, verum etiam ut promissa fidelissime servarent numquam fratribus suadere destitit.

Meritum igitur praeclarum, gravi morbo confectus, die 28 Ianuarii anno 1803, duodeoctogesimo aetatis, religiosae autem consecrationis sexagesimo tertio, obdormivit in Domino.

Cum eius sanctitatis fama in dies percrebresceret, annis 1855-1867 in Rhegii curia Processus Ordinarii Informativi instructi, deinde Romae die 14 Aprilis rite aperti sunt. Introducendae causae Pius Papa IX commissionem die 27 Aprilis anno 1871 signavit. Processus apostolici super virtutibus in specie annis 1883-1897 instructi sunt; die 27 Ianuarii anno 1876 Decreta super scriptis, superque Processuum validitate die 12 Februarii anno 1903 edita sunt.

Die autem 14 Aprilis anno 1981 Congressus peculiaris, in quo super virtutum heroicitate disceptaretur, habitus est. Demum die 12 Ianuarii, hoc anno, Congregatione plenaria in aede apostolica convocata, Em.mi Cardinales Patres, Cardinali Mario Aloisio Ciappi O. P. relatore, super dubio an Servus Dei virtutes theologales, cardinales cum adiunctis heroice coluisset, affirmative responderunt.

Summus autem Pontifex Ioannes Paulus II, cui praedicta omnia die 26 Februarii anno 1982 per subscriptum Cardinalem relata sunt, sententiam Patrum Cardinalium ratam habens, iussit decretum super virtutibus Servi Dei apparari.

Quod cum factum esset, accitis hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Mario Aloisio Ciappi, Causae ponente seu relatore, meque Antistite a Secretis Sacrae Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Summus Pontifex sollemniter edixit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iesuvaldi a Rhegio, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum rite promulgari et in acta S. Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 2 Aprilis A. D. 1982.

PETRUS Card. PALAZZINI, Praefectus

L. ✠ S.

† Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivasten., a Secretis